87
DEPOZIT ARHIVELOR STATULUI CLUJ R.P.R.

29.

Nos Isabella dei gratia Regina Hungarie, Dalmacie, Croacie etc. Memorie commendamus per
presentes. Quod Nos, filiusque noster Serenissimus Electus Rex Hungarie, de fide et fidelitate ac
animi dexteritate et prudentia, rerumque gerendarum sufficienti peritia fidelium nostrorum Egregiorum
Joannis de Zalancz consiliarii nostri, et Marci Osseczky Aule nostre familiaris ad plenum confisi,
Eisdem hoc plenum mandatum nostrum, plenamque et omnimodam facultatem nostram in eo dedimus et
concessimus, damusque et concedimus presentium per vigorem, ut ipsi cum Excellentissimo ac Potentissimo
et Invictissimo Imperatore Thurcarum, domino et benefactore nostro clementissimo, et Excelsa porta,
de omnibus rebus et negociis nostris, filiique nostri Serenissimi, ac Regnorum nostrorum Hungarie et
Transsilvanie, libere agere, loqui, tractare, ad plenum concludere, et promittere Aliaque
omnia et singula que ad hoc necessario pertinere videbuntur, Mandatumque nostrum magis
speciale, quam presentibus est expressum exigerent, perinde ac si nos, filiusque noster Serenissimus,
personaliter interessemus, facere, concluderque valeant atque possint. Promittentes in verbo
nostro Regali, filiique nostri Serenissimi, quod quicquid per prefatos Oratores nostros cum eodem
Potentissimo et Invictissimo Imperatore Thurcarum, et Excelsa porta, nomine nostro,
filiique nostri Serenissimi actum, tractatum, ordinatum et conclusum fuerit, ratum atque firmum
semper habituri, citra quemlibet dolum, fraudem et fucum. Harum nostrarum vigore et
testimonio literarum. Datum in civitate nostra Alba Julia vigesimo tercio die mensis Augusti,
Anno domini Millesimo Quingentesimo Quinquagesimo Septimo.

Ysabella

1557

SERV. ARHIVELOR STATULUI CLUJ *R.P.R.* DEPOZIT

[illegible]

Reg[is] Matthie quod quicquid
oratores sui in Porta ...
dixerint se pro rato et firmo
habituru[m]